

Melanthon,

De

vita. Aristotelis

1537.

Vg

4261

XVII, 504.



ORATIO DE VITA
Aristotelis, dicta in
promotiōe Magistrorum à
Phil. Melanthonē.
1537.

XVII 504.

ORATIO DE VITA ARISTO-
telis, dicta in promotione Magi-
strorum a Philippo Melanthere.

FREQVENTIA VESTRA IN HAC
pompa promotionis per mihi iucunda est, &
cum officio uestro delector, tum uero probo iudi-
cium, quod significatis uos bene sentire de hoc pu-
blico more, in quo, etsi hac pompa habet ludos quos-
dam pueriles, tamen scitis grauisimo consilio gra-
dus ipsos institutos esse, ut ordo in discendo prescri-
beretur, & adolescentes ad certam studiorum ra-
tionem inuitarentur. Certe nobis in hac Schola
usu uenit, ut hi qui gradum petunt, diligentius se
Philosophiae studijs dedant. Eam ob causam gra-
dus libenter conseruamus. Deinde animi est non
abhorrentis ab humanitate hanc harmoniam ordi-
num, quae quidem reipso, etiam maximas utilitates
affert, magnificere & amare. Postremo quid
hac ipsa horum confessorum celebritate pulchrius
est, in quibus homines ingenijs, doctrina & uirtute
prestantes conueniunt, ut audiant in quibus studijs
uersetur iuuentus, quos faciat processus, iuuentus ad-
monetur de multis magnis reb. quarum cognitio
ad uitam utilissima est. Si ludi gladiatorij fierent
aut si peregrinae merces, aut belluae exhiberentur
spectandae,



ſpectandæ, qui concurſus hominum tota urbe fierent. At re uera nullum eſt pulchrius ſpectaculum, quam honorũ et doctorum uirorum coetus. Nullum enim habet reſpublica maius ornamentum. Et cum uirtute nihil ſit admirabilius, magna uoluptas eſt bonæ menti, tales intueri uiros, in quib. lucet egregia uirtus, itaq; honeſtum eſt uobis à Cynicis illis opinionibus diſſentire, quæ hos mores inſulſiſſime reprehendunt. Nihil autem in congreſſu eruditorum magis decet, quàm de rebus bonis dicere aut diſputare aliquid.

Proinde cum hoc tempore publici officiũ ratio mihi has partes dicendi impoſuerit, etſi agnoſco, quam multa in me iure deſiderentur, quæ ad eloquentiæ laudem pertinent, tamen cum & me & cæteros hunc morem conſeruare deceat, nolui meam operam deſſe reipublicæ. Viciffim erit ueſtræ humanitatis orationem meam boni conſulere, quod ut faciatis, uos etiam atq; etiam oro. Cumq; in hoc loco de artium ac certarum uirtutum dignitate ſæpe dictum ſit, ego hiftoriam commemorandam eſſe putauì, uitæ ſcilicet Ariſtotelis. Non ſolum quia plus uoluptatis ex hiftoria percipitur, delectat enim animos uarietas negotiorum & euentuum, Sed etiam quia multis de cauſis prodeſt noſſe magnorum uirorum conſilia, dicta, facta.

A ij

Accenditur

Accenditur enim animus ad uirtutem intuens
in illorum exempla. Deinde de multis rebus. admo-
nemur. Multa imitari Scipionis aut Caesaris consi-
lia imperator potest ita nos in his studijs nostris,
cum consideramus doctissimorum hominum in in-
quirendis & tradendis artibus prudentiam ac ra-
tionem multa rectius iudicare possumus. Multum
collatio prestantium artificum ad acuenda forman-
daq; iudicia conducit. Dicam igitur de Aristotele
non ut sit in panegyricis, sed breuiter ea, quae de ui-
ta eius comperimus, recensebo. Deinde de genere
Philosophiae, & de scriptis eius aliquid adijciam, ut
admoneam adolescentes, quod Philosophiae genus
maxime probandum atq; expetendum sit, & osten-
dam quantum profit ad Aristotelicam rationem ac
methodum assuefactum esse. Ita enim statuo sine
hoc neminem unquam fore artificem methodi ullo in ge-
nere. Nec uero fieri potest quin multa falsa Sophi-
stice misceant hi, quibus ignota est uia illa docendi
quam monstrat Aristoteles. Porro haec Sophistica
quantum parit errorum ac tumultuum in Ecclesia
& in Republ. In fabulis est, Ixioni cum appetisset
Iunonem obiectam esse nubem, Iunonis specie, ex
qua nati dicuntur centauri. Ita indocti ex falsis
opinionibus ac Sophisticis gignunt factiones Ecclesiae
exitiosas, Sed haec postea erunt dicenda, prius enim
uita

uita percurrenda est. Natus est Aristoteles in
Macedonia patre medico Regis Amyntæ, Constat
multorum testimonijs genus eius ab Hippocrate or-
tum esse. Nā posteritas Hippocratis degit in Thes-
salia ac diu possessionem medicæ artis retinuit, cū
parentes artem liberis ordine quasi per manus tra-
derent. Ita & Aristoteles à teneris domestica con-
suetudine, optima & purissima Hippocratis doctri-
na imbutus est, quam quidem eius scripta multis in
locis redolent. Interdum etiam non solum senten-
tias, sed uerba quoq; ab Hippocrate mutuatur.
Egoq; ita statuo uniuersam Aristotelis doctrinam
eo esse simpliciore & magis methodicam, quia
puer ad Hippocratis Philosophiam assuefactus est.
Erant enim eo tempore & alij Physici Democri-
tū autorem sequentes, quorum doctrina plena fuit
prodigiosarum opinionum & perplexarum di-
sputationum. Hos si Aristoteles imitatus esset ne-
quaquam hoc elegantissimum methodi filum, & hanc
propriètatem tenuisset. Quanta aut cura ac soler-
tia in illa domestica institutione usi sint Hippocra-
tis posterii ex eo licet conijcere, quod Galenus ait,
Ideo primum non esse scriptas Anatomias, quia do-
mestica institutione notæ fuerint, Solitos enim Hip-
pocratis posteros domi secare corpora animantiū
atq; hominum & singula membra liberis inde usq;

A iij

à tes

A teneris spectanda proponere. Itaq; cū esset Aristoteles ab ipsis cunabulis assuefactus non ad inanes & perplexas λογολαχίας, Sed ad rerum agnitionem & ad quærendas causas, ex hac puerili cōsuetudine duas egregias uirtutes, & in primis dignas uiro docto consecutus est, uidelicet diligentiam in quærenda methodo & amorem ueritatis. Abeunt. n. studia in mores, quare diligentia euoluendi res obscuras ordine ac proprie, studium quoddam & amorem ueritatis in omni uita parit. Postea natus annos XVII. missus est Athenas ad Platonem audiendum, qui tunc summa ingenij & doctrinæ laude florebat. Cum natura contigisset Aristoteli omnium disciplinarum capax, magna hæc scelicitas fuit, quod primum domestica institutione ingenium excitatum & præparatum est, deinde quod accessit ille præstantissimus Magister, qui naturam scelicitissimam perpoliret. Hæc, ut ego quidem arbitror, ita gubernauit Deus, ut perfectū artificem haberemus eius partis Philosophiæ, in qua elaborauit Aristoteles. Audiuit autem Platonem annos XX. hoc est, fere ad quadragesimum usq; ætatis suæ annum. Nec interim scholas habuit, sed ipse sese exercuit in omnibus disciplinis. Inquisiuit, legit, excussit omnes autores, adeo, ut ut propter uarietatem lectionis ac doctrinæ appel-
laretur.

laretur à Platone Lector. Hoc in loco subit admirari prudentiam Aristotelis, qui tam diu hæserit apud magistrum, nec putarit subito eius doctrinam exhauriri posse. Est & gravitas digna laude, quæ sero admodum docere cœpit, Nam Platone uiuo non habuit scholas. Multa autem extant honorifica testimonia Platonis, de huius ingenio. Vocabat enim Aristotelem Philosophum ueritatis, & cōparans eum cū Xenocrate ait, Aristoteli freno opus esse, Xenocrati calcariibus. Vicissim de Magistro nisi præclare sensisset Aristoteles tam diu non putasset audiendum esse. Dicitur etiam Platoni aram posuisse & Epigramma addidisse, quod extat, in quo amplissimis laudibus ornat Platonem. Nam uel hic unus uersus indicat quantum ei tribuerit, cum ait. Nulla ferent talem sæcla futura uirum. Quod uero homines imperiti similitatem quandam inter eos intercessisse putant, eo quod Aristoteles interdum a Magistro dissentit, inepta opinio est. Nam ut in senatu in dicenda sententia sepe amicissimi sine offensione animorum dissentiunt, ita boni & docti uiri sine acerbitate animorum dissimiles habent opiniones. Sed de hac opinionum dissimilitudine paulo post dicam. Post Platonis mortem, cū iam celebraretur domus Aristotelis à nobilissimis hominibus incensis discendi

A iij cupiditate,

cupiditate, accersit eum Philippus Rex Macedoniae, & tradit ei filium in disciplinam. Porro nisi & doctrinam & mores Aristotelis Rex Philippus, qui acutissime de ingenijs iudicare poterat, probasset, nequaquam ei filium tante spei et generosissime indolis commendasset, Itaque hoc testimonium Philippi de Aristotele grauissimum est iudicandum. Ne ipse quidem alumnus, cum esset heroico & excelso ingenio, tantopere amasset Magistrum, nisi ille ad doctrinam adiunxisset morum sanctitatem & suauitatem. Sæpe autem prædicauit Alexander se non secus amare Aristotelem ac patrem. Mansit autem Aristoteles apud Alexandrum annos circiter octo, quo tempore cum alias Philosophiæ partes ei tradidit, tum uero etiam medendi artem. Atque hac in re non tam foelicitatem Aristotelis admirandam puto, quod ei contigerit credere Regem, unum omnium longe ingeniosiss. & quem fata ad imperium orbis terrarum uocabant, quam prudentiam laudandam esse iudico, quod ea tradidit adolescenti, quæ uehementem naturam flecterent ad suauitatem, quæque ipse sensit regnanti magno usui & magno ornamento esse. Sic. n ait Alexander, malle se doctrinam quam imperij magnitudine excellere. Postquam uero Alexander in Asiam traiecit, Aristoteles rediit Athenas, ac scholas habere coepit. Cumque uideret

CUM

cum rerum scientia eloquentiam coniungendam
esse, matutina studia seu ut ipse nominabat ἑωθινὰ
tribuebat Philosophiæ, uespertina seu δελρινὰ
Rhetoricis exercitijs. Unus omnium maxime ui-
dit cognationem artium. Nam Physicam instituit
& inchoat à geometricis demonstrationibus. Ideo
omnes artes tractabat, scribebat de natura rerum
de morib. de immortalitate animorum & rebus coe-
lestib. Multa componebat ad Alexandrum, ut ui-
ctor respu. legibus, iure, iudicijs, disciplina muni-
ret. Hic scripsit aureos illos libros de historia ani-
malium, qua in re non solum Aristotelis diligentia
mirifica, sed etiam Alexandri liberalitas laudan-
da est, Nam id quoq; regium est rempu. artibus
& literis ornare. Cū enim priuatis sumptib. ex-
plorari naturæ animantium nō possent, misit Alex-
ander Aristoteli octingenta talenta, hoc est, qua-
dringenta & octoginta millia coronatorum ad cō-
ducendos uenatores & alendas bestias, ut eorum
naturæ considerari possent. Etsi aut quædam præ-
elara scripta eius perierūt, tamen existimo ea quæ
reliqua sunt, quæ quidem scholis maxime apta sunt
diuinitus seruata esse, ut posteritas rectius doceri
posset. Postq̄ enim in Græcia ut fit, recentiores Phi-
losophi, Stoici, Epicurei & Academici ceperunt in
admiratione esse, cum quidem pleni sint ineptiarū

de Sophisticis, doctrina ueteri ac eruditore ne-
glecta, scripta Aristotelis excutiebantur studiosis
de manibus, & libri in bibliothecis paucorum, ue-
rustate & carie consumebantur, Ac tantus thesau-
rus prorsus periisset, nisi Syllæ felicitas nobis hæc
quæ habemus, reliqua fecisset. Is .n. bibliotheca in
bello parta, Nam olim Imperatores hanc prædam,
ut bona scripta seruarent maxime captabant, Cum
essent ibi multa Aristotelis uolumina, sed pene obli-
terata, curauit undiq; in Græcia eius auctoris li-
bros conquiri et emendatos ab Andronico publica-
uit. Ita quemadmodum uiuo Aristoteli amicus fuit
Regum summus, ita pene extinctum reuocauit in
lucem summus & felicissimus Imperator Sylla.
Extant tamen adhuc uestigia huius calamitatis, in
his libris qui reliqui sunt, in quib. apparet alicubi
mutilitas esse sententiolas. Porro renouato Ari-
stotele paulatim recentiores sectæ frigere cœpe-
runt, cū se hi qui plurimum ingenijs pollebant ue-
teri doctrinæ dederent. Sed redeo ad historiã uitæ.

Docuit Athenis annos tredecim, nec solum
doctrinæ laude urbem celebriorem reddidit, sed eti-
am ciuib. magna beneficia impetrauit ab Antipa-
tro, qui Macedoniam gubernabat, & unice Ari-
stotelem præceptorem diligebat. Cum aut certas
uina Atheniensium cum Antipatro postea cresce-
rent,

rent, ne ipse quidem tutus fuit Athenis. Nam cum
homines inuidi sperarent eum facile posse opprimi
inuisum iam propter Antipatri amicitiam, finxe-
runt aduersus eum impietatis crimen, quod fabulo-
sam deorū multitudinem reprehendebat, & unam
aliquam eternam, atq; infinitam mentem causam
omnium rerum esse affirmabat, illud etiam Home-
ricum citans ὄνκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἰς
κοίρανος ἔσω. Formidans igitur iniqua iudicia,
concessit in Chalcidem, quæ erat in fide Antipatri,
Neq; hæc calumnia, neq; hæc fuga uiri Philosphi
gloriam obscurant, Sed hoc genus periculorū quod
cōmune est omnib. bene merentibus de genere hu-
mano potius magnum addit cumulum ad eius lau-
des. Primum enim ipsa ueritatis professio honestis-
sima est, Hanc aut in periculis retinere, nec ullis mi-
nis aut cruciatu ullo deterreri ac depelli à recta
sententia, hæc granitas constantiaq; proprie digna
est uiro Philospho. Gloriosum est igitur Aristo-
teli numerari inter summos uiros, qui propter ho-
nestas opiniones & recta consilia à Sycophantis
uexati aut oppressi sunt. Et quoniam omnib. etatia-
bus Sycophantæ bellum gerunt cū ueritate ἄσπευ-
δον, erigamus animos exemplis præstantium illo-
rum uirorum, nec iniquitate hominum sinamus nos
ab officio abduci. In secessu illo aliquanto post
MORTUUS

mortuus est anno, ut ferunt climacterico, sexagesimo tertio ætatis suæ. Mores eius etsi in oratione ipsius perlucent, tamen iudicari possunt ex tot Regum ac Principum uirorum beneuolentia erga eum, quam nisi fuisset in eo singularis grauitas, tueri non potuisset. Testamentum eius etiam declarat, quã fuerit φιλόσοφος, diligentissime enim commendat uxorem & liberos Antipatro. Sunt & alia humanitatis plena in testamento, quæ ne sim prolixior omitto. Nunc quam sit egregia imago nobis proposita uiri Philosophi seu hominis uersantis in studijs eaq; referentis ad communem utilitatem, ita intelligere poteritis, si animo totam historiam intuebimini, & considerabitis uim atq; impetus ingenij, primam eius institutionem, studiorum gradus, infinitam discendi auiditatem, fidem ac dexteritatem in docendo, laborem scribendi tot egregia monumenta, morum grauitatem & humanitatem, Postremo etiam iniurias quas à Sycophantis accepit. Quem non delectet uidere & consyderare in uno uiro tam multas heroicas uirtutes. Cũ enim in hoc genere perfectus artifex fuerit, satis apparet diuinitus eum heroica natura præditum fuisse.

Haftenus de uita dixi multo breuius quàm res poscebat, Nunc de eius Philosophia dicam. Erat aut hæc pars orationis multo longior futura, nisi angustia

angustia temporis uetaret. Cōferendæ enim erant
sectæ, quedam etiam de Platone dicenda erant, Sed
hæc breuiter perstringam. Tanta est eloquentia
Platonis, ut haud dubie longe antecellat omnibus
quorum extant literæ. Multæ etiam sapientissimæ
cogitatiōes sparsæ sunt in eius monumentis, sed nul
lam artem integre, neq; ordine tradidit. Deinde
maxima pars operum ironica est, quæ figura ad de
ridendum accomodatior est quàm ad docendum.
Athencus scribit quendam Platonis auditorem Che
ronem consecutum tyrannidem in patria imitatum
esse absurdas illas disputationes de cōmuni usu re
rum et mulierum. Tulisse enim legem, ut domini et
serui cōmuniter omnib. fortunis & uxorib. uteren
tur. Ita male intellectæ Platonis ironiæ ineptū ho
minem prorsus infatuarunt. Aristoteles contra di
scientium utilitati consulere & scholas iuuare uo
luit. Hæc uoluntas etiam in Philosopho magnam
laudem meretur. Integre complexus est artes Dia
lecticæ, Physicæ & Ethicæ, & duas res adhibet,
quæ lumen afferunt in docendo, Methodū & pro
prietatem sermonis. Utile est igitur adulescentes
ad Aristotelicam consuetudinem assuescieri. Pla
tonica illa licentia in disputando parit incertas &
ambiguas opiniones, non secus ac pictores ludentes
pingunt chimeras aut centauros. Quantum autem
& res

Et rebus ipsis Aristoteles uincat alias sectas ex eo
intelligi potest, quod Dialectica nulla alia digna
uisa est, quae peruenit et ad posteros, nisi Aristotelica,
quod Physicam ex Geometricis initijs prudentissime
ducit. Quam uenustum est, quod unus uidit natura
ram uirtutis, esse affectuum mediocritatem. Quo
consilio grauissime significat animos assuefacien-
dos esse in omni uita ad mediocritatem. Sed repre-
henditur in Aristotele obscuritas, quam quidem ipse
affectasse dicitur, quia dixerit libros suos editos
esse, et non editos. Meo iudicio longe alio consilio
hoc dictum est, uidebat prudentissimus uir hanc
methodi rationem non animaduerti posse, nisi à li-
beraliter institutis. Ideo inquit, non esse editos, ui-
delicet ineptis, qui non praeparati alijs artibus ista
attingebant. Magna est elegantia et perspicui-
tas orationis in multis libris. Alicubi propter re-
rum exilitatem, quam ille propter methodum con-
sectatur, disputatio fit obscurior. Sed animaduersa
methodo tenebrae illae discutiuntur. Callimachus ro-
gat Charites, ut manus delibutas fragrantibus suc-
cis lauent in suis elegis, ut possint esse perpetui pro-
pter gratiam et uenustatem. Tanta est aut sua-
uitas rerum atque orationis in Aristotele in plerisque
scriptis, ut in libro de Animalibus, in politicis, in
Ethicis, in Epistolis et alijs multis locis, ut iure
existimari possit, charites aliquid succi aspersisse de
manibus

manibus, ut Callimachi uerbis utar. Quid quod
eius libri pro bibliothecis esse possunt. Plurima
enim ex ueteribus monumentis quæ interciderunt,
citatur, ac propter huiusmodi flosculos arbitror, Ari-
stotelem à Cicerone flumen aureum uocari. Quam
multa interpretatur Platonis dicta, ut in quinto
Ethicorum, cum quidem sumpserit collationem de
proportionibus à Platone, tamen eam accommodat
uenustius, sed desino. Nam omnia persequi nimis
longum fuerit. Hæc eo dicenda putavi, non solum
ut magis ametis Aristotelem, sed etiam ut cogitetis
cur sit amandus & in manibus habendus, planeq;
ita sentio, magnam doctrinarum confusionem se-
cuturam esse, si Aristoteles neglectus fuerit, qui
unus ac solus est methodi artifex, Nec alia ratione
ad methodum assuefieri quisq; potest, nisi in hoc gene-
re Philosophiæ Aristotelicæ mediocriter exercea-
tur. Quare uos hortor, non solum uestra causa sed
etiam propter uniuersam posteritatē ut hoc optimū
doctrinæ genus diligēter colatis et cōseruetis. Pla-
to ait igniculū illū à Prometheo de cœlo allatū, me-
thodū esse. At hoc igniculo amisso rurſus homines
transformarentur in belluas profecto n̄ sublata ue-
ra docēdi ratiōe, nihil distant homines à belluis. Ut
igitur hunc igniculum retineamus, hoc doctrinæ ge-
nus, quod tradidit Aristoteles summo studio conserva-
uandum est.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 25 horizontal lines.


171



9/9 4261

X 220 6443

m.c.



VII 504.

